

AD  
**ORATIONEM**  
 DE  
*EXERCITATIONIBVS ARTIS ORATORIAE  
 GYMNASTICIS,*  
 QVA  
**I V V E N I S**  
 EXIMIVS ET HONESTISSIMVS,  
**GOTTL. HAEBLERVS**

MEGALO-SCHOENAVIENS, LVSAT.

IN ACADEMIAM CONTENDENS,  
*GYMNASIO ZITTAVIENSI*

DIE VII. APRIL. ANNO MDCCLXI.

HOR. IX. MATVT.

PUBLICVM VALE DICTVRVS EST,

**PATRONOS,**  
**FAVTORES ET AMICOS,**

SVMMA PIETATE ET HVMANITATE

INVITAT,

SIMVLQVE

DE

**FAMILIAE SCHOENBURGICAE**

ORIGINE, ANTIQVITATE ET DIGNITATE

EXPONIT

**ADAM DANIEL RICHTERVS,**

GYMNAS. DIRECT.





**A**ntiquitatem splendide familiæ *Comitum Dominorumque de Schönburg* ita magnam esse, quis nescit, ut veterem memoriam rerum Schönburgicarum & initium generis, unde propagatum sit, cognoscere, deque origine nominis certum statere non liceat? Iulto tamen multo majorem Schönburgicorum nomini antiquitatem tribuunt, qui cum *Spangenbergio*, antiquissimum temporum longinquitate adducti, probabilia, qua fieri potest, non sollicita fatis cura discernunt, sed tutissime se mentiri posse credunt. Illi gentem Schönburgicam ex Italia in germaniam pervenisse perhibent, cujus posterii, sede ad Muldaviam occupata, propugnaculum, vel claustrum, quæ quidem claustra Burga vocabantur, Glauchau edificarint, subque prima nuncupatione *Sonnenburg*, deinde in *Schönburg* immutatum, dixerint. Illi quippe volunt, *Semnones* paulo ante nativitatem Christi sedem in Germania collocasse, ad Mosellam habitantes, temporibus vero Caroli Magni, Saxonibus & Thuringis arma inferentis, postquam superstitiones profanas, Christianis sacris anno 800, additi, ejuraverant, operas suas in expeditionibus bellicis presstitisse, & deinde in Misnia prope Glaucham & Lichtensteinium, cet. habitatum concessisse. Facile autem, ad hoc quod reponatur, cuiuslibet harum rerum guaro in promptu est. *Semnones* enim minime gentium gente Romani prognati, sed *Sævi* sunt, quos antiquissimis olim temporibus in Lusatia superiori & circum habitasse invenias. Vid. Tac. de morib. German. cap. 38. 39. *Sævi* autem, quorum non una gens, sed qui, propriis nationibus nominibusque discreti, in commune hoc vocabulo nuncupati sunt, loca prope *Oderam* & circulatim infederunt, quorum nomen ab hoc eodem fluvio, quem Ptolemeus pro testimonio *Sævum* vocat, germanice *der Schweiffer*, quum ex ebris evundationibus sui, arrodendo littora, magnam partem terræ sepemnumero abstulit, primum extitisse quis non videt? Quod enim hujus fluvii nominis, quam attulimus, ratio non vana judicari possit, ejus rei probationem suppediat Slavonica denominatio *Oder*, aut *Odera*, ab *Odrytan* aut *Odryti*, id est adluendo auferre, abrumperere. Vetusissimi autem nobilissimique *Sævorum* separatum *Semnones* erant in Lusatia, quos Romani ita dixerunt casu in exitu patrio suo sermoni simili. Quemadmodum enim Romani audiverunt, illos homines generatim *Sævos*, *die Schweiffer*, præter hæc omnia vero sigillatim in sua eorum lingua die *Seeländer*, *die Eder* oder *Seende*, appellari, propterea quod tota hæc regio lacunosa, & paludibus, quasi constrata erat, ut post id tempus Slavi quoque regionem *Lusatiam*, quod vocabulum *Luzice*, jam vero *Lausitz*, *das Seeland*, Slavonicum est, denominaverint: ita facilis nunc conjectura est, qua fieri poterit, ut Romani vocabulo Germanico, *Eder* aut *Seende*, casum suæ lingue in exitu adderent, incolasque in Lusatia *Semnones*, quæ quidem nominatio probabilis est, aut *Senones*, dixerint.

Ergo nunc apparebit, quam male olim sibi in hoc negotio prospexerint, qui sine dubio recondita eruditionis jactantia concitati, uti generatim popularibus nostris, sic genti etiam Schönburgicæ ex Latio antiquitatem longe majorem, quam res patitur, adducere audent. Quæ quidem causa inveniri poterit, cur supra allegatus *Spangenbergius* in perforanda origine domus Schönburgicæ ad Castellum, propter similitudinem vocis, respicere voluerit *Semnonenburg*.

Multi alii istam de gentis Schönburgicæ origine, cui etiam *Rittershusius* subscribit, opinionationem tenent, *Comites* & *Dominos* de *Schönburg* prognatos esse stirpe *Theobaldi*, ducis in Bohemia, fratris vero *Uladislai*, qui *Uladislaus* princeps in ordine vigesimus octavus, & secundus rex, in Bohemia fuit. Quam sententiam *Rittershusius* multis argumentis confirmare ausus est: Provocat autem præsertim ad egregias possessiones, fundos & prædia, quæ *Dominus* de *Schönburg* a rubra domo prope Pragam usque ad Gluchovam habuerint, & præterea ad sedes, quas in Franconia, Lusatia & Misnia, maximam vero partem circa Muldam, fluvium in finibus Misniæ, in Voigtlandia, & alibi in Bohemia, ipsis attributas possederunt, in Misnia autem in hunc diem possident. Is credit etiam cum multis aliis, gentis nominationem ortam esse ab ære polchra, quam *Theobaldus* non procul ab Egza extruxerit, Germanico suo vocabulo, *die Schönburg*, ita ut, *Theobaldi* posteros in Misnia *Schönburgicorum*, & in Bohemia *Theobaldinorum* nomen accepisse, nugari haud erubuerit.

Licet vero hæc rerum montenta originem gentis Schönburgicæ Bohemicam minime probare valeant, *Dominos* puta de *Schönburg* *Theobaldinorum* nomine olim insignitos fuisse, & prope Egram arcem, Germanico suo vocabulo *die Schönburg* nuncupatam, possessiones suas multas in Franconia, Misnia & Lusatia, a regibus Bohemie sibi attributas habuisse, quoniam istas vel permutacione vel emtione, matrimonio etiam & alia quadam ratione, alias post alias acquisitas tenuerunt, tamen, his omnibus sepositis, non adeo dissimile est, opinionationem istam, qua suscipiunt, *Dominos* de *Schönburg* ab origine Slavico-bohemos fuisse, omnino diligentem & magis accuratam indagacionem mereri, ita ut eam non statim rejicias.

Illi *Domini* enim, qui *Schönburgicorum* nomine hodie censentur, in diplomatibus suis Slavico-bohemio lingue idiomate perscriptis *Domini Z. Sumburgu*, *Srumburku* aut *Srumburka*, denomi nati reperitur. Quod quidem vocabulum Slavico-bohemum est. Non ignoramus enim oppidulum *Sumburg* hodieum in Bohemia, in Crudimeni circulo *Czasloviam* inter & *Regino-Gradecium* situm. Domus vero quasi natalis gentis Schönburgicæ in Misnia *Glauchau* ca-



dem derivatione gaudet flavico-bohema a *Hluchy*, furdus, inanis, H. & G. in linguis flavonicis alternantibus, ut sit *hlucha hora* der taube Berg, quia in isto agro Glauchoviensi Sorabi olim, metallorum sulfiores optine gnari & prudentes, vel nullum vel emortuum & inane inibi metalli genus deprehenderunt; vel etiam a *Gluchy*, planus, ut sit *Glucha hora* ein gleicher, ein ebener Berg. Deinde hujus rei veritatem facillime expedire potest lingua flavico-bohema ipsa, quæ d. u. satis inter *Dominos de Schenburg*, Glauchovienses quidem & Hartensleinenses, perduravit, quia in probandi ratione Bigas Diplomatum Schœnburgicorum de anno 1455. & 1456. quas nuper M. *Georgius Kærnerus*, Pastor Boccavienſium in montana regione Miſnie doctiſſimus, typis excuſas una cum translatione in patrium ſermonem, & Diſſertationi de utilitate ſtudi antiquitatum præmiſſas, publici juris fecit, conſentientes habemus. *Dominos de Schenburg* ſtirpe & ſanguine Bohemos eſſe jam tandem *Florianus de Schenburg* teſtatur auctoritate ſua, qua anno 1099. ſecundum indicem gentilitium MS. præ aliis multis in Bohemia valuit, inque ea domum rubram apud Pragam & arcem, tunc munitiſſimam, Haſſenſtein inſimul poſſedit.

Hæc & talia quam ad rei probationem ſufficere poſſint, alii inquirant. Licet vero ex hiſtoriis non ignoremus, originem *Dominorum de Schenburg* in Miſnia nondum ſatis probatam adhuc eſſe, attamen id credibile eſt, eam non multum abelle ab ætate *Henrici Illuſtris*, quo quidem tempore, circa annum 1200. & ſequentibus, multi alii præſertim magni proceres in Miſnia haberi cœpi ſunt.

*Comites* autem de *Schenburg* *Dominorum* nomine ampliſſimo appellantur, quæ quidem *Domini* appellatio priſtinis temporibus aliquam magni momenti fuit, ut inde facile pateat, *Dominos de Schenburg* omnino olim magno gradu apud exercitus fuiſſe. Milites enim & equites cum prærogativa quadam ſalutabantur modo illi, qui ex gregariorum numero propter equum facinora reliquos nobilitate præcurrebant, ut itaque majori deinde excellentia magiſque præcioſo titulo gaviſi fuerint, qui præfecti illorum, & ſic tunc temporis nobilium, cum militum, tum equitum, *Domini*, imperium in exercitu geſſerunt, & arcem in bello vel expugnari vel defenderunt. Hæc omnia conſiderantes oportebit aſſentiri opinationi illorum, qui vincere volunt, *Dominos de Schenburg* olim vel Carolo Magno, quam Imperator iſte Bohemos ad tributum quotannis ferendum bello adige- et, vel Henrico Aucupi, cui rex Bohemæ, Wenceslaus, ſpontaneo auſu ſe tradere animum inducibat, operas auxiliatrices ſine dubio præſtititſe, magnis muneribus in bello præfectos. Quoniam vero Soraborum gens in Miſnia ſponte ſe ſubmittebat Imperatoribus Romano-Germanicis, & Imperatores ipſi ex omni Germaniæ parte colonos adducebant, multosque ex illis Sorabis præfectos *Comites* conſtituebant, *Margravios*, *Burggravios* & *Landgravios*, qui quidem ſibi paſſim in arboribus, paſſim in agris, caſtella domuſque inſignes extruebant, inter illos *Comites* quoque noſtros *Schoenburgicos* locum habuiſſe veriſimiliſimum videtur eſſe, qui in ſimbibus Miſniæ caſtellum domuſque inſignem ſibi ædificaverint, & a natura loci, vel metallum non gignentis vel planitiem habentis, *Gluchovam* in lingua ſua flavico-bohema nominaverint.

Sed ſunt conjecturæ, vero ſimillimæ quidem. Habet autem hæc noſtra ſcriptiuncula de *Schoenburgicorum* origine aliquid veri. Illud enim nullam habet dubitationem, *Dominos de Schoeburg*, ſatis longum tabulis publicis imperii Romano-Germanici adſcriptos, in Franconia, Miſnia, Luſatia, Bohemia, cet. burga ſua, habitationes & inſignes poſſeſſiones, urbes, pagos & villas, *Geronis ſylvam* puta, *Haſſenſtein*, *Pirſchenſtein*, *Trautenau*, *Crimmitzſchau*, *Schlackewerdam*, *Hoyerwerdam* cet. poſſeſſiſſe, *Glauchoviam* vero, *Hartenſteinium*, *Lichtenſteinium*, *Loſtſicium*, *Waldenburgum*, *Remiſſam*, *Rochsburgum*, *Penicium*, *Wechſelburgum*, cet. adhuc poſſidere. Præterea *Domini de Schoenburg* ſemper in Quaternionibus imperii Romano-Germanici poſiti fuerunt. Tandem ſub initium hujus ſæculi, anno a virginis beate partu milleſimo ſeptingenteſimo, die ſeptimo meſiſ Auguſti, *Domini de Schoenburg* antiquiſſimam ſuam, quam *Comitum* habent, dignitatem renovatam, & diplomate ab Imperatore *Leopoldo* ſcripto inſtaurata, obtinuerunt, cum titulo honoris genti *Schoenburgicæ* inſcripto: *Hoch- und Wohlgebohrne*.

Quoniam autem antiquiſſimam eſſe videmus memoriam rerum *Schoenburgicarum*, ex eo colligamus licet, quod in ſtemmate *Schoenburgicorum*, quum ſtirpis origo ipſa extra omne dubium adhuc nondum penitus poſita ſit, prima quoque nomina gentilitia, quæ paſſim habentur, ſupputationem, & qua quælibet in ſerie generationis a ſtipite diſtint, omnino non admittant. Attamen dubium non eſt, quin accèſſio fieri poſſit hiſtoriæ *Schoenburgicæ*. Diligentius enim perſeutando & ex latebris ſuis, quibus involuta habentur, eruendo diplomata, multi forſan, quadam ſaltem, lacunas explere poterunt in ſerie rerum. Nomina vero gentilitia *Schoenburgicorum*, quæ in unitatem generationum nondum congregari poſſunt, cum recentiora tum antiqua, inter alia ſequentia ſunt.

I. *Herrmann de Schoenburg*, qui circa annum 800. primo certamini ludæro equeſtri in Franconia ſuperiori adfuſiſſe, & trans Rhenum non longe a Neofſtadio domum natalem incoluiſſe dicitur, vid. *Beckeri Hiſt. Hannoveræ* P. I. fol. 54. it. vite curricularum Agneſ. Eliſab. de Schenburg.

II. *Meywitz de Schoenburg*, qui *Dominus* in oppidulo *Crimmitzſchau* anno 920. & ſequentibus viſiſſe, atque ibi *Gabelis* cujuſdam bona hereditate relicta obtinuiſſe creditur. *Crim-*



147807 RA X338708A  
mitschau quidem facti antiquum oppidulum est, sed quod *Vulpus* illud anno 920. aut 921. ab Imperatore Henrico Aucape conditum esse scribit, doceri tabulis non potest. Ad haec Crimmitzschau sub finem seculi trecentesimi ad *Dominos de Schoenburg* primum pervenit, ita ut hic *Meywitz de Schoenburg* minime Dominus in Crimmitzschau fuisse poterit.

III. *Albanus de Schoenburg*, Praefectus Zwickaviae, ludo equestri anno 930. Magdeburgi instituto interfuit.

IV. *Fridericus II. Dominus de Schoenburg*, Rhenanus, Brunsvigi anno 996. in equiriis se exhibuit.

V. *Wernerus de Schoenburg*, Augustae in Vindelicis anno 1080. ut munia praefecti, qui Germanice *Grieswartel* nuncupatus est, in equitum certamine ludico exequeretur electus, anno insequenti 1081. cum Imperatore Henrico IV. in expeditionem adversus Romam profectus est.

VI. *Florianus de Schoenburg*, Dominus domus rubrae, Hassensteinii, cet. Godofredo de Bouvillon anno 1099. manus auxiliatrices praebuit in expugnatione Hierosolymae, & symbolo usus est: innocui vivite, Numen adest.

VII. *Ernestus de Schoenburg*, Goettingae anno 1119. praefens fuit in ludo equestri.

VIII. *Wolffus de Schoenburg* Wurceburgi ludos equestres anno 1237. frequentasse legitur.

IX. *Erich de Schoenburg*, & in diplomate de ao. 1333. Henr. nuncupatus, vid. Schoettg. Diplom. Nachlese P. X. p. 204. Dominus in oppidulo Crimmitzschau, monasterio Beutitz, apud Weisenfelsium, litteras anno 1328. supra mola quadam confirmavit.

X. *Dietericus de Schoenburg* reperitur inter illos, qui anno 1414. in concilio Constantiensis adfuerunt.

XI. *Wenceslaus de Schoenburg*, qui quidem *Sophiam* quandam de *Schoenburg* in matrimonium sibi collocatam habuit, sine prole decessit, cum quo genus *Dominorum de Schoenburg* in oppidulo Crimmitzschau tunc temporis extinctum est.

XII. *Henricus de Schoenburg* Comiti Henrico de Schwartzburg anno 1418. auxilium adversus Comites Hennebergenses per litteras promisit. Vid. Lunig. spicil. fec. II. pag. 1223.

XIII. *Dietericus de Schoenburg* anno 1465. Rector Magnificus in Academia Lipsiensis.

XIV. *Fridericus de Schoenburg* Hoyerswerdam anno 1461-1471. urbem regionis munificissimam, & ab Electore Friderico II. anno 1461. venditam & alienatam, in possessione habuit, quae deinde urbs, ad aes alienum dissolvendum, Henrico de Maltz novo possessori, pretio 100000. Thaler. anno 1471. devenit. Nihilominus vero anno 1492-1532. *Johannem*, *Wencelium* & *Ernestum*, fratres *Schoenburgicos*, qui omnes in exilatu obierunt, deinde sine anno *Bernhardum*, *Iohann. Albrecht*, *Watzlau*, *Herrmannum* & *Carolum*, itidem fratres germanos de *Schoenburg*, in Pischenstein & Trautenau, & an. 1567. *Joachim*, *Fridericum* & *Wilhelmum*, omnes de *Schoenburg*, Dominos de Hoyerswerda nominatos legimus.

XV. *Albrecht de Schoenburg* anno 1499. ultimus Praepositus Penicii.

XVI. *Wolffus de Schoenburg*, natus an. 1527. denatus vero an. 1532.

Hac de gente *Schoenburgica* dicere habui, sed jam de eo dicam *Juvene eximio & honestissimo*, *GOTTLOB HAEBLERO*, *Megaloschoenav. Lus.* quem sub hoc programme nostro in publicum producimus dignum, ut Academiarum spatia, sacris litteris ibi operaturus, nunc adeat. Honestis parentibus prognatus, a primis pueritiae annis litteras complexus est, perque novem; & quod excurrit, annos, coetui Gymnasii nostri adscriptus, bonas animi dotes, quas ei natura largita est, ingeniumque felix ita adauxit studioque poluit, ut nunc sua cum laude, ad Academi hortos discessurus, a nobis dimitti queat. In latina & patria lingua, in arte dicendi, imo in historicis & exercitationibus oratoriis, & praeter linguam Hebraicam & Gallicam, anno praesertim proximo praeterlapso in Grajorum quoque vernacula satis feliciter profecit. Deum reverenter habuit, Praeceptoribus sponte obsequium praestitit, bonis autem omnibus placere laudabiliter studuit. Sicuti autem in Gymnasio nostro huc usque aliquot diligentiae specimina edidit, sic ultimum nunc *Vale* dicturus verba, proprio Marte conscripta, faciet de *exercitationibus artis Oratoriae gymnasticis*, *Orat. Lat.* addito carmine vernaculo, quo gratum animum significabit, & pia vota testari conabitur. Deos vales ut propitios secum habeat, precamur, optima vero quaeque, more antiquo, decedenti huic nostro *HAEBLERO*, brevi non nostro, totius discentium caeterae nomine apprecabuntur *Juvenes* gente & nativitate *nobilissimi honestissimique*

I. IOACHIMVS ERNESTVS HERZOGIVS, Zittaviens. Orat. Latin.

II. ELIAS NEVMANNVS, Zittaviens. Orat. German.

III. IOHANNES CAROLVS ROSCHERVS, Zittaviens. Orat. German.

*VIROS* itaque *MAGNIFICOS*, *excellenissimos*, *summe & maxime reverendos*, *amplissimos*, *clarissimos*, *magistratus & omnium ordinum honoratissimos*, multum & officiose rogo, ut si munerum permittat ratio, frequentes adeste, huncque *ACTVM VALEDICTORIVM* hac fua praesentiae felicitate illustrare velint. Scr. Dom. Miserie. An. MDCCCLXI.

ZITTAVIAE, LITTERIS IOANN. GOTL. NICOLAI.



J. H. 24, 27.

Vk  
2807

# AD ORATIONEM

DE  
EXERCITATIONIBVS ARTIS ORATORIAE  
GYMNASTICIS,

QVA  
I V V E N I S  
EXIMIVS ET HONESTISSIMVS,

## GOTTFR. HAEBLERVS

HALO-SCHOENAVIENS, LVSTAT.

ACADEMIAM CONTENDENS,

GYMNASIO ZITTAVIENSI

VII. APRIL. ANNO MDCCLXI,

HOR. IX. MATVT.

VALE DICTVRVS EST,

PATRONOS,

DOCTORES ET AMICOS,

PROPTER VERTVTEM ET PIETATE ET HVMANITATE

INVITAT,

SIMVLQVE

DE

### ACADEMIA ZITTAUENSIS SCHOENBVRGICAE

PROPTER ANTIQVITATE ET DIGNITATE

EXPONIT

### DANIEL RICHTERVS,

GYMNAS. DIRECT.

